

IOANNES DE VESALIA ERDFORDIEN-
sis Professor.



Ioannes de Vesalia studiorum caussa sese Erd-
fordiam contulit, & magnā eruditionis laudem
sibi acquisiuit. Itaque eius loci professor assumptus
circa annum Saluatoris nostri millesimo quadrin-
gentesimo sexagesimo docendo & scribendo eam
scholam plurimum illustrauit. Postea uero Vuor-
natiæ concionator constitutus est. in eo loco er-
tores in Ecclesia inueteratos acriter taxauit, atque
nomines ad ueram pietatem magna ueritatis par-
chisia excitauit. Docuit is, Gratis meraquæ gratia
per fidem in Christum saluari omnes: Liberum ar-
bitrium esse nihil: Tantum uerbo Dei credendum,
non glossæ aut patribus: Verbum autem Dei per
collationem locorum mutuam illustrandam esse: Prælatos non habere ius cō-
dendileges, aut interpretandi scripturam iure prætorio: Humanas traditio-
nes ut ieunia, indulgentias, festa, longas præcum battologias, peregrinatio-
nes, & similia penitus reiecit. Extremam unctionem & confirmationem re-
probauit: Confessionem & satisfactionem reprehendit: Primatum papæ ni-
hil esse docuit.